

1479

C O D I C E S

1480

rum et Epistolarum dominicalium, de probandis propositionibus tres tractatus, et quam plures alij libri.

IV. fol. 105. Ejusdem de Officio Regis. Initium: Consequenter ad ordinem clericalem restat de militari Ordine pertractandum &c. Ut Cod. CCCXCI. ubi, quod praecedat, Prooemium hic calci subnexum est.

## CCCXCIV.

- 927 Codex chartaceus lat. Sec. XV. exeuntis, aut plane XVI. Folior. 161. 4. commode per scriptus et rubricis enotatus a secunda manu inscriptus est: *Wiclef super Cantica Cantorum*. Retulimus Exemplum vetustius Cod. praeced. quod etiam castigatius videtur. Ita male legit praefens de Petro de Riga, qui expositionem Cantorum versificando in primum librum conclusit. Scribendum erat in parvum librum. Ceterum plura ad Cod. mox cit.

## CCCXCV.

- 917 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 348. 4. per duas columnas bene scriptus, rubricis distinctus, et nescio cui, dono datus Anno 1550. a S. Joanne ex Miesta eo tempore Pastore Zluticensium, qui Provinciae Zatecensis in Bohemia locus est, continet Job. Wiclefi Expositionem in N. T. excepta tamen Apocalypsi, videlicet IV. Evan-

geliorum, Epistolarum Pauli, Actuum Apost. et Epistolarum Canonice. Non memorantur Wiclefi Postilla a Baleo et Tannero; memorantur vero in Catalogis mss. ut videre est Cod. CCCXCIII. nec dubito, ea in praesenti Codice haberi; omnia enim Wiclefium sapiunt, frontique, quamvis a secunda manu, adscriptum legitur: *Vigleff predicator perfectus*. Id tamen noto, Prologum in Matheum Codici praefixum, qui incipit: *Matheus ex Judea sicut in ordine &c. Iste prologus est beati Jeronimi qui diuiditur principaliter in quatuor partes &c. alterius esse, cum in eo ad Publicanorum mentionem verba Wiclefi citentur, addito: Hec Jo. W. Sequitur porro: Incipit Mathei primum capitulum. Liber generationis Ihesu christi — Dimissa diuisione huius libri ne videar frustra verba in vanum profundere &c. Atque hunc ego ipsius Wiclefi Prologum habeo, ex eo etiam, quod ipsa demum Expositio fol. 4. litera picturata initiali ita orditur: *Liber generationis Ihesu christi filij david filij Abraham. Sciendum quod triplex ponitur ratio. quare david premittitur &c. Ceterarum Partium Inscriptiones et Clausulae nil peculiare subpeditant. Postilla in Canonicam Judae finit: nullam dicit essentiam aliquid istorum preter deum.**

## CCCXCVI.

- Codex partim membraneus, 916 partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior.